ADIUVET ALMA TRIAS!

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA, De MANIA,

Quam

DIVINO ADSPIRANTE FLAMINE

CONSENSU ET AUCTORITATE

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI FACULTATIS MEDICÆ COLLEGII IN FLORENTISSIMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

Pro

SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS CONSEQVENDIS ET RITE OBTINENDIS

Solenni ERUDITORUM Examini exponit

JOHANNES CONRADUS Matthis/
Argentoratensis.

In ipsâ die Festâ D. Ioh. Baptistæ, h. locoq; consuet.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS WELPERI.
ANNO M. DC. LXIX.

VIRIS- JUVENIBUS

Nobilitate Generis, Virtutum Excellentiâ, Arti-um præclaritate, Linguarum peritia maximè conspicuis, Nobilissimis, Clarissimis, Poli-tissimis:

DNO. GEORGIO PETRO PIERERO,
Med. Doctorando dignissimo, Amico syncerissimo, Competitori exoptatissimo,

Nec non

DNO. PHILIPPO JOSEPHO MOLLINGERO
JURIUM Cultori Strenuo, indefesso: Amico itidem in paucis numerando, Commilitoni suavissimo, Fautori honorando,

Dominis Patronis, Fautoribus, Commilitonibus
suis æterno Honoris & Amoris cultu
prosequendis

Pro singulari Affectus ac Amoris Benignitate in me largè & copiosè collatâ

Disputationem hanc INAUGURALEM

submissè

DEDICANDO, CONSECRANDO,
gratæ mentis, obsequiique duraturi
MONUMENTUM
erigit

Vester obstrictissimus

AUTHOR

JOHAN- CONRADUS Matthis.

EPISTOLA DEDICATORIA.

MIremini, forſan indignemini? VIRI JUVENES, quod ad VOS jubeatur tranſire α *Mola*, aut β *deformes Vrſarum Catuli*; ſive, ut remo tô velò dicam, cur Vobis, PRÆCLARA PROLES UTRAQVE! Affe-ctum ſummè turpem, meâ dedicatione voluerim conſecrare, MANIAM ſubaudio. Verùm admirationem ſummovebit, modò recordemini, quâ ex mente, ego licet Vobis multis paraſangis impar, quæ faciam, audeam. Et Tu Nobiliſſime PIERERE DOCTORANDE, hodiernis, paucis aſt repoſtis diebus, DOCTOR ſalutande, quid de TE effari animo inducam? Brevis eſt noſtra amicitia, verùm tanta ſumpſit, pauco ſpatio, incrementa, ita, ut nullus ſine altero, quicquid etiam fecerit, rectè feciſſe, auguretur. Tuo amore, Tuove, ſic diſtrictus teneor, favore, ut mea, absque Tûâ, nulla æſtimetur, vitâ. Atq; quod CEDRO dignum, non modò de præſenti, verùm etiam de futurâ, millenas & ſenſi & auribus hauſi promiſſiones, amicitiâ. Ad TE transvolvor Nobiliſs. MOLLINGERE, *quem honorum titulis potius onerare, quàm condecorare, & officium & pietas ſuaderet, juberet, nî graviora balbutientem inhiberent ſymptomata.* Noſtra equidem non hodierna eſt amicitia, ſed à teneris, etiam tum exculta, unguiculis; neq; fucatam, quic-

α. *Sperling. de format. hom. in utero. Infiniti alij.*

β. *Tom. I. Nat. Hiſt. lib. 8. c. 36.*

quicquid etiam oggranniat Zoilus, aut ſimulatam offendi unquam. Tua, in me meaque collata ſtudia, innumera benefacta, (apertè eloquar) cum tanta ſint, ut etiam laudibus deprædicare ſatis dignis, ego nullus ſim, *tuâ tamen quod fecero pace*, ſilentio potius involvam, quàm longum in eorundem enumeratione conficiam catalogum; gratam interim, *quod ſanctè promitto*, de iisdem mecum fovebo memoriam. Atque hinc mihi illæ lacrumæ, quod ad Vos, NOBILISSIMUM PAR! *licet rudi minervâ exaratam*, transmiſerim Epiſtolam. Quis ergò ille, qui mihi vitio verterit, ubi cum γ *Poëtâ Chriſtiano de Nobiliſſimis, ſynceriſſimis*, (concedatis audentiori) *Commilitonibus* plenis exclamem buccis?

γ. Herman. Hugo, Soc. Jeſu Deſider. libr.

O oculi! Scopuli, titulo meliore, vocandi!
Sydera vos eſtis, quæ mihi bina micant!

DEUS Ter Optimus, Ter Maximus, fons & origo omnis boni diutiſſimè UTRUMQVE conſervet Soſpitem, Incolumem, Salvum. Vigeat PIERERUS! Floreat MOLLINGERUS! Perennet PIERERUS! Vivat MOLLINGERUS! UTERQVE, *donec*, cum δ. Amorum Scriptore canendum:

δ. Ovid. Triſt. libr.

Inficiat nigras alba ſenecta comas!

Ita ominatur, precatur, deſiderat Veſter
DESIDERATISSIMUS.

DISPU-

DISPUTATIONIS
DE
MANIA
PRÆLOCUTIO.

JAnum Damaſcenum *Aphoriſm.* 1. rectiſſimè *Medicinam pelagus quoddam perimmenſum* vocitâſſe, non eſt, quin idem quoque pleno debuccinemus gutture. Etenim rerum, quas tractat, ſi aſpicias *multitudinem*, è triplice regno petitam, *Animali ſc. Vegetabili & Minerali.* Animalia enim eorumque. ſi altius rimemur, partes, heu immenſam farraginem! quam ingenioſum & verſatiſſimum in præſcribenda optimâ & ſalutari diætâ ſeſe Medicus exhibeat, neceſſe eſt! Et omninò puto, diætam non minimam, imò maximam partem in recuperandâ labefactatæ ſanitatis ſalute conferre, cui juxta Senem Aëtium *Dies & Quies* multos curârint. In convenienti autem diætâ imperandâ animalia ferè ſingula, ſingulasque eorundem partes ſingulis qualitatibus præditas exactè no-

ſcere, quàm longum temporis requirat ſpacium, quantam diligentiam, ſtudiumque, optimus erit judex & arbiter, Æſculapij qui ſeſe mancipaverit legibus: Quid dicam de eorundem *animalium uſu pharmaceutico?* ſanè tremor occupat artus, ſi ſaltem ejus recordatio mentem ſubeat, ſilentio E. magis involvam, quàm prolixum de eodem inſtituam ſermonem. Vegetabilium de regno triplici, *Eſculento*, *Medicamentoſo & Coſmetico* quid proferam? unde exordiar, cùm animus vacillet, ſub arbuſtis neceſſe recordar. Mineralia vix attingam, quanta enim varietas, quanta multitudo, quàm varia ex iisdem indicibili ferè & ſtupendo modo proſtent medicamenta, ſpagyricorum lautius deprædicabunt monumenta. Neque finem tangit rerum quas habet Medicina *Varietas & Multitudo*; ſociam ſeſe jungit *difficultas*, velut appoſitè dictitavit Æternum (*Conringij verbis utar in introduct. in univerſ. Medicin cap.* 13.) Argentinenſis Academiæ decus *Melchior Sebizius faſcic.* 1. *q.*3. Difficultas ſanè occurrit maxima, etenim quid difficiliu

ficilius *Affectus* curare graviſſimos? *Cauſas* perſcrutari nocentiſſimas ? *Symptomata* denique amovere vehementiſſima? Non eſt certè, cur abyſſum pelagi hujus perimmenſi petamus, atq; innumeros ex eodem hauriamus affectus, cum ſc. MANIAM ſatis periculi ſecum portare ſimus edocti. Tentaminibus igitur & Examinibus ſolennibus habitis, atque à Nobiliſſimâ Facultate Medicâ mihi imperatum, aliquem affectum, quicunque tamen placuerit, pro Diſputatione Inaugurali elaborare; Conſtitui mecum tandem de MANIA, affectu ſanè immaniſſimo, quædam in capita certa diſpeſcere, non quidem quæ deberem, ſed quæ præruptum tempus concedebat; quâ de re, ſi minus congrua forſan appoſuerim, ambire B. L. favorem atque amorem, eſt, quod iterum atque iterum rogem:

Interea cœptum MEDITRINA *juvato laborem,*
Quo referat noſtras aura ſecunda rates!

CAPUT

CAPUT I.

Onomatologiam proponit: ubi de Synonymiâ, Homonymiâ atque Etymologiâ.

§. 1.

AFFectus noſtri ὀνοματολογίαν primo ſtatim examinare frontiſpicio, abſonum B. L. judicaturum nullus ſperabo, ne forſan ignoratis vocibus, res ipſa ignoretur. Ordiar autem à

§. 2. *Synonymiâ*, in qua varias ſortitur appellationes; Latias æq;, Græcas atque Germanicas: vocatur Mania, (Græco vocabulo Latinâ civitate donata) *Sebiz. Spec. Medic. pract. Capivacc. l. 1. prax. c. XI. Sennert. Inſtitut. & Prax. libb. Nicol. Piſoni de cognoſcend. & curand. morb. l. 1. c. 24. Barthol. Caſtello Lexic. Medic.* & ſexcentis aliis. Furor item & Inſania *prædictis Authoribus.* Rabies *eidem Piſoni l. d.* Delirium Maniacum, *Capivacc. l. c.* Græc. Μανία. *Hippocr.* ἔκστασις, *teſte Piſone loc. alleg.* Germani vocant das Wüten/ Unſinnigkeit/ Tollheit / Taubſucht/ Raſerey/ *Theophraſt. Paracelſ.* appellat die Unſinnige Taubheit. *append. Tom. 5.*

§. 3. *Homonymiam quod concernit*, Celſus Inſaniæ nomine *omnia deliriorum genera* complectitur. *Sennert. l. d.* ſumitur Inſania, quandoque *Galeno*, (teſte *Piſon.* propter arctam inter ſeſe cognationem, quam habent inſania & melancholia) pro Melancholia, & contra Melancholia pro Inſania. *Hippocrati,*

crati, notante eod. Pison. Mania interdum significat maximam mentis desipientiam, & furentis animi incitationem in febri acutâ. Tralliano, *teste Sennert. loc. sæpius alleg.* Mania nihil est aliud, quàm intensio Melancholiæ ad majorem feritatem. *Nobis verò subaudienda Mania vera & exquisita, cujus causa, effectus & symptomata evidentissimis modis à Melancholiâ differunt.*

§. 4. Etymologia. Μανίας vocabulum ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, adstipulante *Viro Nobilissimo Melch. Sebizio, Promotore ac Fautore nostro ad Cupressum devenerando;* nec non *Clariss. Sennerto loc. all.* quod est furere, insanire, deducitur. Græca enim vox est, & à latinis minimè derivanda, atque hoc laborantes affectu μαινόμενοι *maniaci, furibundi, & insani* appellantur. Malè E. & ineptè quibusdam à *Manibus,* i. e. *Diis infernalibus* deductum vocabulum putatur. Neque à Μαντεία, *vaticinatione sive Divinatione* originem trahere vocabulum statuendum: Licet enim aliquando vaticinentur & futura præsagiant Maniaci, linguisve alienis, quas nunquam antea didicêre, loquantur, & carmina componant, *veluti observatio est apud Rembert. Dodon. Obs. Medicin. cap.* 10. *Schenck. obs. l.* 1. *cap.* 258. *& Michaël. Psellum de operat. dæmon.* tamen cum hoc rarissimè eveniat, & si eveniat, pro portento & miraculo habeatur: Mentis verò alienatio in omnibus observetur maniacis; Ergò hìc à particulari ad universale non transeundum; atque hinc rationi consonum, μανίαν à vocabulo Græco μαίνεσθαι, non autem à μαντεία, ἢ μαντεύεσθαι derivari.

H M CAPUT

Caput II.

Definitionem exhibet.

§. 1. Definitur: *quod ſit delirium, ſeu imaginationis & ratiocinationis depravatio ſine timore, ſed cum audaciâ, temeritate & ferociâ, ſine febre, à diſpoſitione ſpirituum fervidâ & igneâ ortum habens.* De ſingulis ſeparatim.

§. 2. Forma ſeu Genus proximum *eſt delirium, ſeu imaginationis & ratiocinationis depravatio*, quæ oculis & auribus obvia: imaginantur enim ea, quæ non ſunt, & nullum diſcrimen inter honeſtum & turpe, bonum & malum, amicum & inimicum, &c. agnoſcunt.

§. 3. Addimus: *ſine timore, ſed cum audaciâ &c.* ita enim Affectus noſter diſtinguitur à Melancholiâ, tanquam per ſigna pathognomica, aſſeverante *Riverio Prax. med. l* 1. *c.*13. Mania ſiquidem eſt cum furore & audaciâ, & obvios quosque malo hoc laborantes invadunt, atque ab humanis moribus degenerantes, ferinam planè induunt vitam, & omnia præter rationem agunt, truci & torvo ſunt aſpectu, obſcœna & horrenda loquuntur, vociferant, veſtes dilacerant, & niſi probè cuſtodiantur, vincula, quibus conſtringendi ſunt, rumpunt, carceres effringunt, & alia plurima infinita, peſſima & audacia facta perpetrare non horrent. Hoc enim ſingulare & obſervatu dignum in Maniacis, quod ſibi grandia imaginentur, nulli honoribus cedere perſeverantes, ſed ſeſe Gran-

des

des ac Primates, imò Cæſares, Reges, Principesque eſſe, ſubinde clamitent; veluti nuper quendam in Xenodochio urbis hujus obſervavi, qui, interrogatus quisnam eſſet, regeſſit, ſe Cæſaris eſſe ſigniferum, per ludibrium alter reponebat, eſſe quidem ipſum Cæſaris ſigniferum, verùm ſine ſigno: quibus Maniacus ita ſuccenſebat verbis, ut in jurgia, increpationes, maledictionesque totus funderetur; Catenas, quibus erat alligatus, concutiebat, & alia horrenda ac ſtupenda patrabat. Horum certè nihil de Melancholicis licet effari; ſed ſunt timentes, triſtes, loca ſolitaria quærentes, *μισάνθρωποι*, moroſi, taciturni, &c.

§. 4. *Sine febre:* Hâc ſiquidem & nullâ aliâ re differt à phrenitide, quæ eſt delirium cum febre, uti habet *Hercul. Saxon. Med. Pract. l.* 1. *c.* 16. *& Piſo l. c.* Audi *River. l. all.* A Phrenitide diſtinguitur Mania, quia in ea febris acuta viget, à cerebri & membranarum ejus inflammatione oriunda: Maniâ verò febre caret, ſaltem ratione propriæ eſſentiæ, nihil enim impedit, quin febris cum Mania complicari poſſit, (veluti & ipſe vidi Maniacum febricitare) ſed ab aliâ causâ oriunda, non autem ab eâ, quæ Maniam producit: Atque adeò in Phrenitide febris eſt ſymptomatica, in Maniâ eſſentialis & primigenia, ab aliâ causâ procedens: Hactenus Riverius.

§. 5. *A Diſpoſitione ſpirituum fervidâ & igneâ ortum ducens*; quæ certè cauſa proxima & immediata ſtatuitur. Sed de hâc peculiariter agendum.

Caput III.
Subjectum ostendit.

§. 1. SUBJECTUM Maniæ omnium ore atque consensu profertur, & statuitur cerebrum; quod valdoperè depravatæ actiones cerebri probare satagunt: *Principes autem illæ actiones sunt φαντασία, seu imaginatio & ratio*; namque, ut in melancholiâ præcipuè læditur *imaginatio*, sic in Maniâ sæpè *ratio magis*. Servatur autem memoria, ut patet ex cantilenis, quas habent familiares: patet item ex odio, quod in certas conjiciunt personas; etenim semel si indignis Maniacum tractâris modis, cùm aliâ vice eundem & quidem longum sæpiùs post intervallum accedas, optimè te noverit, illatamque injuriam, modò vindictæ laxentur Maniaco habenæ, non impunè feres. Idem tibi è contrario emerget; certè, si insanum, licet & extremo in furoris gradu sit constitutus, beneficio affeceris, si alio tempore eundem visitaveris, te amore prosequetur, neque ullam tibi inferet injuriam, teque, ut simili beneficij genere eundem prosequare, subinde rogabit & hortabitur: & eò magis retinebitur memoria, ubi ex ferventi sanguine originem suam habeat insania.

§. 2. Coafficitur verò & COR, inquit *Magnific. Sebiz. Præceptor & Promotor nullo tempore non sine honoris præfamine salutandus loc. sæp. cit. & Clariss. Sennert. loc. itidem sæpiùs adducto*: quod patet ex animi pathematibus, iracundiâ, audaciâ & temeritate, aliisque animi pathematibus, quæ etiam ad essentiam Maniæ pertinent, & tamen à corde proveniunt.

Itidem

Itidem liquet ex calore, qui tantus eſt, ut etiam hyberno tempore Maniaci frigus tolerare valeant acerbiſſimum; cuſtodiuntur enim clauſtris, & quidem incincti, neque id ſuſtinent frigus unâ ſolummodò brumâ, verùm multis annis, ſine ullâ corporis læſione & jacturâ: ac, quod mirandum, ſi tangantur, non frigere, ſed calere in medio frigore hyberno deprehenduntur. Quanquam enim conſuetudo etiam hîc aliquid facere poſſit, (*pergit Sennert.*) tamen eam ſolùm non ſufficere, aliorum exempla docent, qui calor in univerſum corpus, niſi corde affecto, vix diffundi poteſt. Et credibile ſanè eſt, non modò ſpiritus animales, ſed & vitales, fervidos, & quaſi igneos evaſiſſe, ſicut idem iis, qui vino inebriantur, accidit.

§. 3. *Hercules Saxon. l. 1. c. 16.* ſuggerit, hunc affectum, (Maniam ſubaudi) ſicut & Melancholiam, ex triplici loco fieri, aut ex cerebro primariò affecto, aut ex univerſo corpore, aut ex utero & hypochondriis. Verùm cùm nobis ſolùm de Mania propriè dictâ, in quâ cerebrum primariò afficitur, ſermo ſit; cæteras Maniæ ſpecies ſuis relinquimus authoribus. Nobis impræſentiarum de ſubjecto dixiſſe ſufficiat.

CAPUT IV.

Cauſam immediatam, & mediatam proximiorem ſubnectit.

§. 1. *Cauſa immediata eſt ignea & fervida ſpirituum vitalium & animalium diſpoſitio: Magnif. & Nobiliß. Sebiz. Capivacc. Sennert. in Inſtitut. & Prax. libb. Schenck. obſerv. l. c. Schmiz. Med. pract. Corbejus l. dict. & alij.*

§. 2. *Mediata proximior* eſt ſanguis fervidus, vel bilis atra, vel flava, aſſata atque aduſta, quæ continetur aliàs *in capitis* tantùm, aliàs *in universi corporis venis, majoribus præſertim*, poſteà verò cerebro communicata; quò etiam referas exhalationes igneas & febres ardentiſſimas. Cæterùm, quod ὡς ἐν παρόδῳ notandùm, nobis hîc per bilem atram non intelligi illam Melancholiæ authorem, quæ *frigida & ſicca* communiter ſtatuitur, verùm illam *calidam & ſiccam*, quæ ab intemperie calidiore ortum habere fertur. Non immeritò etiam hîc quæri poſſet, an Mania oriatur à ſanguine incorrupto ac temperato, ſolâque multitudine cerebrum offendente, an verò à ſanguine vitioſis qualitatibus delibato? Poſteriori opinioni *Piſo* ſubſcribit: Nobis utramq; arridere probabimus.

§. 3. Non autem immeritò Medicorum Proceres ad *occultas humorum qualitates & proprietates* confugiunt, cauſas habentes nobis planè indicibiles, à rebus malignis venenatisque progeneratas: cujus generis exiſtimantur *ſolanum furioſum*, *venena alia, cerebrum felis, morſus canum rabie correptorum, luporum, & animalium aliorum rabioſorum*; *Sanguis menſtruus devoratus*; *amor vel retractus, vel alio modo impeditus*, velut exempla proſtant apud *Schenck loc. alleg. Vinum fulmine congelatum, Sennert. loc. cit.* Quibus omnibus (ſubjungit idem) non ſine causâ addi poteſt *vis illa ſuperior dæmonum*, quæ DEI permiſſu humoribus vitioſis ſeſe aſſociat, talemque inſaniam inducit; Nec alienam fovet ſententiam *Hercul. Saxon. l. d.* Unde Authores quoque magnum deducunt argumentum linguarum peregrinarum, quas Maniaci ſçpè eloquuntur. *Philtra* denique ſeu *Pocula amatoria*, idq; juxta

Poëtam

Poët. canentē: *Philtra nocent animis, vimq; furoris habent.* En tibi quoque paradigma lepidiſſimum apud *Lyricum Epod. libr. Ep. 5.* ubi CANIDIA venefica, VARUM ſuum veneficæ ſcientioris carmine ſolutum, ad ſeſe reverſurum, poculum videlicet amatorium parando fortius, ipſa ſibi hiſce promittit verbis:

Non uſitatis VARE, *potionibus*
(O multa fleturum caput!)
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marſis redibit vocibus.
Majus parabo, majus infundam tibi
Faſtidienti poculum.
Priusque cœlum ſidet inferius mari,
Tellure porrectâ ſuper;
Quam non amore ſic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

CAP. V.

Cauſas remotiores, res naturales, non naturales, & præter nat. complectitur.

§. 1. Inter RES NATURALES occurrit 1. *Temperies calida & ſicca,* hæc quippe bilioſos, acres, mordacesq; humores gignit, qui ſanè humores acredine & mordacitate ſuâ membranas atque meninges ſtimulant & feriunt, atque hoc pacto multum ad maniam conducuut. 2. *Sexus*: Viri enim frequentiùs furore exagitantur, quàm mulieres: quod intelligendum de affectu primigenio; ex utero enim mulieres non rarò in furorem aguntur. 3. *AEtas*: Juvenilis præcipuè

præcipuè inſaniam incurrit; quia tùm temporis temperamentum obtinent calidius & fervidius; adeóq; facili occaſione ſpiritus poſſunt inflammari atque accendi, unde malum hoc induci ſolet. 4. *Anni tempus:* ſecundum *Hippocr. aphor.* 20. *ſect.* 3. Ver ſtatuitur, ita enim prædicto loco: *Vere Inſania, Melancholia, &c. fit & irritatur:* Nec non *aphor.* 22. *ejusd. ſectionis.* Autumno etiam hunc morbum fieri aſſeverat, & quidẽ juxta *Commentator.* in hunc aphoriſmum, ob bilioſorum humorum malignitatem.

§. 2. NON NATURALES ſunt AER, calidus & ſiccus, qui humores diſſolvit, urit, bilem exacuit, inflammatque, nec non humorum acrium atq; mordacium proventum adauget: *Mora quoq; diuturnior in Sole* non exiguum ad augendum malum ſolet conferre ſymbolum.

§. 3. CIBI: cujus generis ſunt calidâ qualitate prædititi, quo referuntur aromatiſati, ſaliti, qui ſanguinem reddunt calidiorẽ, acrioremque: ex ſanguine ita conſtituto, ſimiles quoque generantur ſpiritus, qui ſpiritus demùm ceu fœcunda mater excludunt inſaniam.

§. 4. POTUS: ut vinum generoſum hiante gutture hauſtum; vinum item annoſum, à fæcibus jam dilutum: nimiopere quippe ſpiritus inflammat, caputque petit: quod oculatus teſtis in quodam Maniaco vidi aliquando, qui cùm vinum, & quidem meracius, deglutiviſſet, mox acerbiſſima, ubi halitus calidiores cerebrum petiiſſent, inſequebantur ſymptomata: quapropter cautè agendum, neq; vinum furioſis exhibendum, niſi ὀλιγοφόρον, idque parcâ manu: atque quod de caſeo præcepêre exhibendo Salernitani,

nitani, id nos ſenſu accommodatitio de vino Maniacis concedendo dicamus, nempe:

Optimum erit vinum, quod dat avara manus.

§. 5. MEDICAMENTA: præſertim calida, ut Aloë, Colocynthis, Helleborus uterque, Piperis ſpecies, præcipuè AEthiopicum piper, propter inſignem, quem in ſeſe continet, fervorem & acrimoniam; Cantharides in ſubſtantia devoratæ, quamvis aliàs conferant in Mania, uti optimè diſcurrit *Vir Nobiliß. Dn. D. Ioh. Albert. Sebizius Fautor, Præceptor & Promotor æternùm devenerandus in Prælect. Publicis*; Nux Vomica ſeu Metella, quia veneni aliquid in ſe habere creditur, Priapus Cervinus, quia Venerem ſtimulat, & cùm aliàs inſani ſint Venerei, facilè malo malum additur; & alia infinita, maximè etiam apophlegmatizonta.

§. 6. MOTUS corporis vehementiores, ut ſunt ſaltationes, curſus, luctæ armorum, congreſſiones, Clamores item ac vociferationes, Cantus perpetui, riſus effuſus, &c. quæ omnia eò ſpectant, ut ſanguinem reddant fervidiorem, ſpiritus impetuoſiores, ſupraque modum incaleſcentes, unde malum hoc Maniacum inferri, jam decies fermè inculcavimus.

§. 7. VIGILIAE IMMODERATAE ſi ſint, ſpiritus abſumunt & diſſipant, imprimis animales, & univerſum corpus, præcipuè cerebrum exſiccant, bilem augent, acuunt atque inflammant, & morborum calidorum cauſa ſunt.

§. 8. ANIMI PATHEMATA: Ira & excandeſcentia, Amor item, velut cujusdam Mercatoris meminit *Schenck. obſ. l.* 1. *obſ.* 268. qui ex amore in inſaniam deductus fuerat; *Videſis ipſum Authorem,*

 §. 9. Con-

§. 9. Consuetæ EVACUATIONES suppressæ malo miris modis vires solent addere; e. g. Lochia retenta, veluti ipse nuper de quâdam certior factus *à Viro Nobilissimo & Experientiss. Dn. D. Erhardo Xenodochij, seu ut vocant Hospitalis majoris Physico ordinario, optimè merito*, Ipse mihi referebat, digitisque monstrabat quandam Maniâ laborantem, cui lochia jam aliquoties post fœtum exclusum non sequebantur, sed manserant retenta; unde Maniaca bis terve facta, restituebatur toties, causa erat nulla alia, quàm suppressa lochia; & certè fidem facient sequentia; laborabat eadem nuper febre ardentissimâ, nulla voluerat admittere remedia, quamvis optima, gulæque gratissima, post erumpebant maculæ, & penè in toto corpore, instar petechiarum, quæ per aliquot dies manebant, inde sequebatur Hæmorrhagia narium tertiâ aut quartâ vice iterata, & quidem in tantâ copiâ, ut sanguine propemodum exhausto moribunda jaceret; Consului *Virum Nobiliss.* quid hâc de re sentiret, num bonum, an malum judicaret prognosticon; Qui hæmorrhagiam habuit pro vacuatione criticâ, nec eventus prædictionem fefellit, siquidem in dies postea res melior cœpit habere, ita ut mulier jam DEI gratiâ penitus sit restituta. Sed unde fuimus digressi, revertamur, Hæmorrhoïdes suppressæ idem solent efficere secundum *Nobilissim. Seniorem Sebiz. Fasc.* 41. *quæst.* 1. V.S. item & scarificatio in plethoricis intermissa.

§. 10. VENUS nec hìc exulat, sed igni subministrabit succendiculam, etenim immoderata solet inferre insaniam, velut idem *Schenck. l. d.* exemplum de melancholico quodam enarrat, qui cum æstate

mediâ

mediâ uxorem duxisset juvenculam, adeò profusè Venere usus est, & præsiccatus, ut non post multos dies vehementi furore esset percitus.

§. 11. Ad RES præt. nat. referimus morbos partium, *Hepar* videlicet & *Cor*, quatenus eorundem actiones in excessu peccant, sanguinemque justo calidiorem elaborant, ac materiam vitiosam ad cerebrum transmittunt. Causam etiam præter naturam adjungimus continui solutionem, vulnera scil. & contusiones capitis.

CAPUT VI.
Maniæ Differentias exhaurit.

§. 1. Differentiæ *ratione generis seu formæ*: Alia est *legitima*, alia *illegitima seu spuria*: Alia est *intensa, gravis & confirmata*; alia *remissa, levis & incipiens*.

§. 2. *Subjecti ratione*, alia fit per essentiam, quæ *idiopathica*, & generatur in ipso cerebro: Alia per *consensum*, ubi spiritus vitales in corde simul sunt accensi.

§. 3. *Causarum ratione*, tot mali hujus differentiæ constitui possunt, quot causæ hunc affectum producunt: *Alia* enim est ab intemperie calidiore & sicciore cerebri, ab humore bilioso: *Alia* hæreditaria, *alia* acquisita: *Alia* à solutâ unitate: *Alia* à validâ cerebri inflammatione in febribus ardentissimis: *Alia* à doloris sævitie: *Alia* à medicamentis, venenis, philtris: *Alia* denique ab ebrietate.

CAP. VII.
Signa Diagnostica & Prognostica delineat.

§. 1. SIGNA DIAGNOSTICA petuntur vel

 ab

ab essentialiter morbo inhærentibus, vel quæ ex necessitate ea insequuntur: Horum concernunt alia *Genus*; alia *Subjectum*; alia denique *Causas*.

§. 2. FORMAM seu GENUS quod attinet, facilè ab aliis nostrum distinxeris Affectum: Etenim *Mania semper sine febre*, & licet aliquando contingat Maniacum febricitare, distinxeris saltem inter *Febrim Symptomaticam*, & *Essentialem* seu *Primigeniam*, quæ prior febris Phreniticis semper comes, posterior maniacis rarissimè, qualem distinctionem & supra c. 2. §. 4. præmisimus. *A Melancholiâ differt Mania*, quod non sit cum tristitiâ, timore ac solicitudine, sed cum audaciâ & temeritate, quia illa à frigidiore & crassiore materiâ; hæc verò à calidiore & tenuiore oriunda. *A Dæmoniacis* quomodo discernantur, monstrat *Sennert.* quod videl. Dæmoniaci, quæ supra humanam potestatem sunt, agant, linguis loquantur peregrinis, futura prædicant, sæpéque per vomitum particulas ferri, globos plumbeos, &c. ejiciant.

§. 3. Ratione SUBJECTI Mania seipsum prodit, oculis auribusque obvia, dum videlicet actiones depravatas, præsertim animales, læsas deprehendimus, adeóque Cerebrum primariò, (primariò dicimus, nam & Cor quandoque coafficì supra planum fecimus) laborare, ex imaginatione & ratiocinatione depravatâ cognoscitur, cùm ægri & falsa sibi imaginantur, & absurda & inepta multa committunt, eaque sine timore, sed cum audaciâ, temeritate, jurgiis, irâ, excandescentiâ, &c. obvios truculenter invadunt, eosque manibus, unguibus, morsibus miserè excipiunt: imò sibi ipsis non parcentes, sese turpiter dilacerant, capite parietes petunt; & res certè stupenda, quantas

quantas sibi ipsis inferant injurias, vidi ego quendam, qui tanto cum impetu , (idque non terve quaterve, sed quotidianum & consuetum eidem adhuc hodiè est,) capite conclavis latera concutiebat, ut si quis etiam multis passibus ab eodem distaret, sonitus satis audientis feriret aures, jurassetque quis Maniaci cerebrum excidisse cranio, quod tamen eidem noxam haud infert ullam, sed consuetudine quasi induruit longâ : sed de hoc satis. Sunt Maniaci, quibus si liberæ relinquantur manus , sibi ipsis vitam eripere nulli dubitarent, quapropter vinculis optimè custoditi asservantur. Hisce depravatis aut perturbatis mentis functionibus ferè comites sunt vigiliæ, *Fernelii* verbis uti liceat de partium *morb. & sympt. l.5. c.2.* eæque pertinaces adeò ac diuturnæ, ut mente captus quidam menses 14. insomnes duxerit. Signis iisdem annumerant nonnulli *oculos sanguinolentos*, eosque sæpiùs pervertunt, ut nihil ferè præter album conspiciatur. *Aspectu* denique sunt *truculento*, ita ut si cui primâ vice contigerit Maniacum videre, facili negotio Idem vel solo aspectu possit adstanti incutere terrorem.

§. 4. Cùm Maniæ CAUSA statuatur calidior fervidiorque humorum constitutio , corpus Maniacorum totum, imprimis autem *Caput*, insigniter calet : *Facies* pallida plerumque & ad citrinum vergens colorem : *Oculi* eorundem aut sanguinei aut citrini : *Actiones* cerebri depravatæ potiùs, quàm abolitæ & deperditæ : *Delirta* ipsis perpetua : *Vigiliæ* intermissæ : *Somnus* contrà rarissimus, & si contingat brevissimus, obversantur per *somnum* imagines flammarum & incendii, pugnant, rixantur, dimicationes & luctas ex-

 ercent:

ercent: *Ira, excandeſcentia, iracundia*, Comites aſſiduæ: *Excrementa cerebri* pauca: Adeſt *linguæ ſiccitas*, & multam ſpumam, irâ aut excandeſcentiâ commoti, excernunt: *Pulſus* ſunt magni & crebri: *Vrina* eorum ignea eſt & tenuis; ob bilis, quæ juſto calidior, exſuperantiam. *Cæterùm* riſu ſemper ſi teneatur æger & hilaritate, ſanguinis abundantiam ſignum ſuppeditat: *Si verò* iracundia, inquietudo, clamor, percuſſio, pallida & flaveſcens facies obſervetur, flavam bilem prædominari augurandum: *Inſania* verò ſi admodùm furioſa, ut ægri obvios petant, & nonnunquam interficiant, à flavâ bile exuſtâ, quæ atra dicitur, originem ſumit. *Cùm autem* atra bilis, non ex flavâ, ſed à melancholiâ exuſtâ & præaſſatâ generetur, ægri truculento vultu præditi ſunt, manent interdum in diuturno ſilentio, quod nonnunquam in ſermonem importunum erumpit, immites ſunt, pertinaces ingenti mœrore ac luctu interdum afficiuntur.

§. 5. IMMINENTIS ſeu INSTANTIS maniæ ſigna à quibusdam ſtatuuntur capitis gravitas; aurium tinnitus & ſonitus; ſplendores oculis obverſantes; vigiliæ immodicæ; curæ & ſolicitudines; ira ex levi occaſione; oculi cavi & fixi; Menſium; Hæmorrhoidum; Lochiorum &c. ſuppreſſio. *Etſi autem* hæc recenſita ſigna nonnunquam Maniam ſoleant præcedere, tamen cum & alia præcedere ſoleant ſigna, hiſce non ceu firmâ baſi innitendum, & cùm præcedant, non tamen ſtatim *M*ania prænominanda, rectè notante *Sennerto*.

§. 6. PROGNOSTICA: Mania cum ſit affectus truculentiſſimus, curatuque difficillimus, de prognoſi aliquid ſubjungendum. *Mania ergò ſi ſit con-*

firmata

firmata & veterata, ſicut & φθίσις, & Podagra & Melancholia curationem non admittit, liceatque de eâdem effari.

Tollere firmatam neſcit Medicina Maniam.

§. 7. *Ab atrâ bile* ſi duxerit originem, qui ſanè humor humorum omnium peſſimus & pertinaciſſimus, præcipuè ſi malignitatem induat, ac habeat ſe inſtar fermenti, uti *Sennertus* loqui amat, nec malum ceſſat, quamdiu materiæ aliquid in corpore ſupereſt, adeóque omnium peſſima judicanda, deque eâdem nihil boni præfari quisquam audeat. *Mitior autem benigniorq;*, & quæ curam, uti & experientia ſatis teſtatur, facilior admittit, quæ fit cum riſu, mitioribusque ſtipata ſymptomatibus: Calculum dictis adjicit *Divinus Senex aphor.* 53. *ſect.* 6 inquiens: *Deliratio, quæ cum riſu fit, tutior, quæ verò ſtudio adhibito, periculoſior.*

§. 8. Idem *Summus Dictator ſect.* 6. *aphor.* 21. ſalutaris Maniæ prognoſticon exhibet, cum ſcribit: *Inſanis ſi varices vel Hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio. Et ſect.* 7. *aphor.* 5. *Ab inſania, quam* Μανίαν *Græci vocant, difficultas inteſtinorum, aut hydrops, aut* ἔκστασις, *bonum.*

§. 9. Denique, quod pro clauſulâ notandum, licet Mania affectus ſit periculoſiſſimus, & curatu difficillimus, lethalis tamen non eſt per ſe, & niſi ægri vel ſibi ipſis manus injiciant violentas, aut alijs ſymptomatibus ſupervenientibus obruantur, rarò ex hoc malo moriantur; id quod teſtatur vel ipſa experientia, etenim ſæpè uſque ad mortem comes, licet parum fidelis, obſervatur
Mania.

CAPUT

Cap. VIII.

Indicationes contemplatur.

§. 1. INDICANTIA triplici aliàs cum comprehendantur numero, ſintque *Curatorium*, *Præſervatorium & Vitale*; nos iisdem veſtigiis inſiſtentes, ordine ſingula perſtringemus breviter.

§. 2. *Curatorium* ergò jubet, cùm proxima & immediata cauſa ſit, velut ante demonſtravimus, ſpirituum fervida & ignea diſpoſitio, hæc verò à ſanguine præt. nat. calido ortum duxerit, atque incrementa capiat, ut ſanguis & humor ille vitioſus, præparatione præmiſsâ, evacuetur atque educatur.

§. 3. *Præſervatorium* ſuadet, ut videlicet adhibito ſtudio diligentiâque, idem humor à partibus principalibus, cerebro nempè primariò laborante, corde verò ſecundariò in hoc affectu avertatur & repellatur.

§. 4. *Vitale*, vires conſervandas, quas conſervare, eſt vitam ipſam conſervare, præcipit; neceſſe eſt ergò, ut intemperies illa altererur & mutetur, cumq; principes partes *Cerebrum & Cor* afficiantur, iisdem maximè proſpiciendum: Nec non cura dirigenda ad *hepar & lienem*, quorum craſis calidior medicamentis alterantibus à ſtatu p. n. ad naturalem reducenda: *Symptomata* etiam vehementer urgentia ſedentur & mitigentur.

Cap. IX. & Ult.

Curationem triplicem: Chirurgicam, Pharmaceuticam & Diæteticam adnectendo claudit.

Chirurgica manus.

§. 1. V. S. ab omnibus unanimi ore ſalutare proclama-

proclamatur remedium; ab eâdemque ſemper cura Maniæ inchoanda: Aſſerit enim *Platerus* (teſte *Sennert. & Riverio*) innumeros hâc ratione curatos fuiſſe à Chirurgis & aliis, qui ex profeſſo hiſce morbis curandis operam dabant, qui vigeſies atque ſexagies venas aperiebant, atque ita ab aliis Medicis vel deſerti, vel medicaminibus nihil proficientibus, unico hocce auxilio fuêre liberati reſtitutique. Adſtipulatur *Theophraſtus Tom.* 1. *l.* 1. *de Orig. morb. cap.* 4. cum ſcribit: Sehet an in Mania, was hilfft da/als allein ſein Adern auffzuſchlagen/ ſo geneißt er / das iſt ſein Arcanum, nicht Camffer/ nicht Nenuphar / nicht Salvia, nicht Majorana, nicht Clyſteria, nicht infrigidantia, nicht das/ nicht diß / ſondern Phlebotomia: quæ tamen verba cum grano ſalis accipienda, i. e. juvant quidem medicamenta prædicta etiam, omiſsâ verò venæ ſectione nihil proficies, quantum etiam feceris. *Notandum* hîc ἐν παρενθέσει, ſolere Authores ſubinde inculcare, modò fieri poſſibile, & æger aliàs refractarius permittat, ut clyſma, ſive aliud medicamentum primas vias evacuans præmittatur venæ ſectioni. *Et omninò V. S.* magnæ eſt in hoc morbo utilitatis, utpote quæ non ſolùm ſanguinem & humores in venis contentos evacuat, & à cerebro revellere ac derivare poteſt, ſed & ex accidente refrigerat.

§. 2. *Delectus venarum*, quamnam tundat Chirurgus in ejus arbitrio relinquitur liber, eligitur plerunque, quæ magis viſui & tactui obvia, ſanguineq; quæ turgeat magis: Venam *in fronte* ſæpiùs vidi inciſam, & quidem maximâ cum ægrotantium ſalute; tres enim furioſos jam contigit videre reſtitutos, & certè præcipuo ven. ſectionis auxilio. Cum *Avicenna*

 referente

referente *Capivacc. l. a.* Possunt etiam aperiri *venæ sub linguâ.* Venas item Insanorum vidi reserare *in brachio utroq;, in pedibus, Salvatellam item in manibus, &c.* In fœminis commendat *Sennert. Saphenam incisam,* vel quæ *ad pollicem pedis* excurrit: *Varices* quoque *in cruribus, vel alibi,* si appareant, cum magnam copiam humoris melancholici, ad eum locum detrusi, contineant, aperiantur.

§. 3. Ad sanguinem evacuandum etiam conducunt *Cucurbitulæ scarificatæ* scapulis & dorso admotæ, quæ post multas V. S. utilissimæ sunt, monet *River.* Multis quoq; profuit *Hirudines* ad tempora & post aures, & anum, si Hæmorrhoides suppressæ sunt, apponere, dictitante *Sennert. Prax.* quam annuendo sententiam fovet *Lazarus Riverius loc. prædict.*

Auxilia Pharmaceutica.

§. 1. *Lenientia* hîc primò occurrunt, primasq; vias evacuantia, & ea conferent omnia, quæ ad bilis & melancholiæ extirpationem solent adhiberi, cujus generis sunt *Syr. de Manna, Syr. de Cichor. cum Rhab. Syr. Violac. Syr. Rosar. solut. Extract. Helleb. nigr. Fol. Senæ, Rhab. simpl. Myrobal, &c.* Commendantur valdoperè *Clysteres emollientes & fortiores,* modò ægrotans non aversetur. Sit per exemplum purgans lene hoc:

℞. Decoct. fol. Sen. ℥ ß.
Extr. Helleb. nigr. ℈ ʃ.
Syr. de Pom. laxat. ℥ j.
▽ Card. Bened.
Cinnam. Buglossat. ana ʒ j.
M. S. Purgier-träncklin.

Aliud.

℞. Syr. de Cich. cum Rhab. ℥ j.
Extract. diacitr. ʒ j.
Crem. Tart. ʒ ß.
▽ Borrag.
Meliss. ana ℥ ß.
M. S. D.

Clysm

Clysma Emolliens.

℞. Rad. Lil. alb. Alth. ana ℥ j. Herb. Malv. Violar. Mercurial. ana M. i ß. Flor. Centaur. min. Nymph. ana p. j. Sem. Portulac. Fœnugr. an. ʒ ij ß. Hord. integr. M. j. Coq. in ſ. q. ▽æ. vel ſeri lact. de colat. ℞. ℔ j. adde Mel roſ. ſ. ℥ iij. Elect. lenit. ℥ j ß. Mel viol. ℥ j. F. Enema.

§. 2. *Primis viis* hiſce vel aliis remediorum formulis evacuatis, adhibitáque V. S. quæ infinities reiteranda, ad humorum præparationem accedendum, quæ, cum in contrariis conſiſtat, refrigerandum & humectandum erit, per ea, quæ bili ſeu flavæ ſeu atræ conveniunt, ut ſunt ſimplicia *Borrago, Bugloſſ. Cichoreum, Violar: Nymphea, Endiv. Fragar. Sem. 4. frigida tùm majora, tùm minora, &c.* quorum immenſam farraginem apud Authores Practicos videre eſt. Julepum refrigerantem præſcribimus talem:

℞. ▽ Borrag. Bugloſſ. ana ℥ iij. ▽ Nymph. ℥ iiij. Succ. granat. Acid. ℥ j. Syr. Nymph. ℥ ij. Rub. Idæ. ℥ j. Berber. ℥ iß. M. f. Julep. de quo æger ſæpius ſumat.

Emulſio refrigerans Hepatic.

℞. ▽ Hepat. nobil. Fragor. Cichor. Cucurb. Borrag. an. ℥ ij. Amygdal. dulc. delibr. ℥ i ß. Sem. Cucurb. Citrull. an. ʒ ij. M. S. **Leber-kühlende Milch.**

§. 3. Laudat *Clariſſ. Sennert.* & utile deprædicat remedium Lactis ſerum, non modò quod ad melancholicum humorem ſit medicamentum præſtantiſſimum, verùm etiam quod ægri ad id hauriendum facilè poſſint perſuaderi, immixtis tamen *Syrupus Violar. Roſar. ſolut. l. de fumar.*

§. 4. Hiſce etiam peractis *ad καθαρτικὰ fortiora* deveniendum, & Augiæ ſtabulum à ſordibns penitus, ſi modò malum hoc valde contumax patiatur,

expurgandum; singulisq; mensibus, aut etiam citiùs, prout materia turget, exhibeatur purgans, sitque ad humorum conditionem directum; diligentiusq; ex signis supra recensitis, ediscendum, an sanguis, an verò bilis, & rursus an flava, vel atra in causa sit, maliq; existat author, prout ergò Medicus circumstantiis probè consideratis omnibus rem deprehenderit, curam dirigat ad humorem peccantem, medicamentumque concinnet aptum; quod poterit confici ex seqq: e. g. *Rhabarb. Sena, Myrobal. Lazul. Epithym. Helleb. Turbith. &c.* seq. exhiberem potiunculam:

℞. Decoct. flor. & fruct. ℥ ß.
Syr. Diapersic. ℥ j.
Extr. Diacitr. s. ℈ iiij. vel ʒ ß.
Misc.

Pulverem præscrib. hunc:
℞. Tab. Diaturb. c. Rhab. ʒ j.
Crem. Tart. ℈ j.
Lap. Lazul. ℈ ß. vel gr. xiiij.
Spec. Diambr. gr. vj.
Sacchar. alb. ℈ ij.
Misc.

sive: ℞. Fol. Sen. ʒ ij.
Myrobal. citr. ʒ ijß.
Rad. Cichor.
Polypod. an. ʒ ij.
Sem. Anis.
Fœnic. an. ʒ j.
Coq. in s. q. ▽æ. fontan. decolat. ℞. ℥ iiij. adde:
Mann. liq. ℥ j.
Diagrid. gr. vij.
Misc.

In ▽â convenienti aut jusculo propinetur.

§. 5. Atque hæc de cura nobis sufficiant dixisse, cum vel Medico integrum fuerit hâc illâq; formâ exhibere remedia, quorumque monumenta apud Practicos præstant refertissima.

§. 6. Empyrica valdè celebrantur ap. Authores, v. g. *Decoct. Anagallid. Hepar arietis ♀rem nondũ expert. Fol. Buxi: Laudan. Opiat. Croll. foris & intus exhibitum: Tinctura Saphiri: Lap. Lazul. Spiritus Margarit. Sal Angelic. & Pimpinell. &c.* Laudantur Amuleta: *ut Radix Eryng. Bryon. Adamas, Chrysolithus, &c. panno illigatus*

gatus, *&* *sub sinistrâ alâ gestatus*; Sed ulterius nolumus, adeantur Authores.

§. 7. Hoc quoq; monendum in affectu hoc valdè terribili, *confortantia καρδιακὰ necessaria esse*: 1. Quia Maniaci summoperè anguntur: 2. quia Cor propter gravia animi pathemata, iracundiam præcipuè, haud mediocriter afficitur; quæ verò Cardiaca existunt duplicia interna sc. atq; externa; de internis vid. largam messem *apud Venerandum nostrum Senem Melchiorem Sebiz. Parente plus æternùm devenerandum, Specul. Med. Pract. & alios.* Externa frustrà ferme, ob audaciam, temeritatem & refractarium Maniacorum ingenium, adhibentur: faciliùs enim & citiùs domantur & cicurantur bestiæ, quàm Maniaci. Non omittendæ sunt etiam lotiones, quarum Authores sæpiùs injiciunt mentionem. Alvus quotidie respondeat, & nisi sponte suo fungatur munere, per medicamenta efficiendum. Accipias ergò hæc B. L. de Maniâ, quæ hîc habeas, quâ de lautiùs egissemus, nisi præruptum & parcum tempus frena inhiberet. Cæterùm, quæ hîc desiderantur, Medicorum Practicorum libri ad satietatem usq; suppeditabunt. Restat tamen adhuc unum, nempe

Diæta Salutaris:

Medicinæ Proceribus non solùm sub diætæ nomine Cibi & Potus inaudiuntur, verùm omnes res non naturales dicti, quod & hîc imitemur, eorundemque vestigiis insistemus: *Cibi* vitentur igitur in Maniâ *dulces*, quia facilè bilescunt: *Non conveniunt calidi*, quia ignis igni adjiceretur. *Improbantur obstruentes*, quia materia vitiosa non intùs fovenda, sed foràs expellenda:

pellenda: *Laudantur* contra *refrigerantes, humectantes, alvumq́ emollientes* cibi. *Quoad Potum*, Vinum non eſt exhibendum, niſi, uti ſupra monuimus, paucum & aquâ multâ dilutum, cur verò, jam quoque ſuprà oſtenſum. *Somnus* cùm ſit rarus, vigiliæ propemodum perpetuæ, arte conciliandus: Cùm Maniaci admodùm ſint inquieti, *Quies* omni ſtudio ut concilietur, videndum. *Animi* denique *Pathemata*, ira, excandeſcentia, irritationes, quibus facilè in furorem agitantur, omnibus numeris ut vitentur, circumſtantes allaborent.

ÆTERNO DEO ÆTERNAS CANTAMUS LAUDES!

COROLLARIA.

Membranam Græc: ὑμένα dictam omnibus virginibus adeſſe, hactenus Experientia aliter docuit: Neq́ etiam virginitatis nota creditur.

Sexus mutatio, i.e. Filii in Filiam, & contra, naturaliter eſt impoßibilis: Neque rem Poëtarum figmenta & mendacia, neq́ vetularum viſus hebetudo aut ſomnia probare ſufficiunt.

Infauſtâ ſorte, quâ nuper fui uſus, hactenus nihil fui commotus, neq́ etiam movebor, quicquid vel rude vulgus, aliusve Roſor & Oſor contra deblateret.

Ornatiſſimo

Ornatißimo Dom.

JOHANNI CONRADO MATTHISIO,

de Mania diſputaturo, Salut.

S*Vnt multi morbi diri, ceu Praxis abundè*
Illorum monſtrat, clari qui Pæonis artem
Exercent, & opem præſtant languentibus ægris.
Eſt autem nullus, qui dirior eſſe videtur
Illo, quem Græci Μανίαν *dixère, Latinis*
Qui FVROR eſt, RABIESq́, & ſæva INSANIA MENTIS.
Hæc etenim indomitos, effrenes, atq́ ferinos
Efficit ægrotos, aliosq́, ut lædere tentent
Vnguibus, & pugnis, planèq́ hoſtilibus armis:
Imò etiam vita privent crudeliter ipſa:
Hactenus ut verè quorundam exempla probârunt.
Suntq́ truci facie: disrumpunt vincula, queis ſunt
Conſtricti: magno blaterant clamore: foresq́
Effringunt, quibus incluſi ſunt: fœda loquuntur,
Impia, & obſcœna, & prorſus quoq́ ubiq́ nefanda:
Veſtes dilacerant: naturam imitantur Oreſtis,
Ajacisque *ſimul: longèq́ à moribus abſunt*
Humanis: miſerè traducunt tempora vitæ,
Quapropter *rectè faciunt, qui nôſſe laborant*
Deſcriptum morbum: quamvis non ſemper eundem
Perfectè poßint curare, & tollere prorſus.
Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultrà:
Sique abſint vires, tamen eſt laudanda voluntas,
Sic etenim inſignes quidam cecinere Poëtæ,
Quorum laus & honor durabunt omne per ævum.

Melchior Sebizius, Med. Doct. &
Profeſſ. ætat. an. 92. Com. Pal. Cæſ. Reip.
Argentor. Archiater, & Capitul.
Thoman. Præpoſitus f.

NOBILIS.

NOBILISSIME MATTHIS,

ISta hodie ſcribendi eſt prodigentia, ut alios clarendi vexet pruritus; alios νεωτερισμὸς occæcet; alios deniq; aliud. Hìc ſe effert φιλόλογος, illic πολυπράγμων irrepit; & undiquaq; chartulis, imò voluminibus non ad ſatiem, ſed ad nauſeam uſque obruimur. Interim --- --- --- *medium tenuere beati.* Certe, qui bene latuit, mihi bene videtur vixiſſe; eumdemque feliciorem æſtimo, quippe quem aliena pericula fecere cautum. TU, AMICORUM OPTIME, neque νεοτερισμῷ, neque alii ſuccumbis pruritui; ſed TIBI, ut in proverbio eſt, οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. Teſtem voco eam, quam cathedræ ſiſtis nobiliori de MANIA Diſſertationem: eam enim ex purioribus hauſiſſe videris fontibus, ſecurus, quæ alius hinc inde concenturiare malit. Bona ergò dico verba novosq; mox capeſſendos honores; qui iidem in Animarum Medici gloriam, ad proximi vergant Salutem. Ita vovet, ita precatur

Argentor. XIII. Kal. Sextil. ∞. Ioc. LXIX. D. Georgius Francus.

INſanos SANUS Sanas hìc dogmate Sano;
Hinc Votis Sanis omnia Sana precor.

Amico ac Competitori cariſſimo fecit
Jacobus Saalman, Med. Ddus.

BElla cruenta ſubit miles generoſus, & omnes
Fert patiens caſus, ſuſtinet omne malum:
Hoſtibus aſt cœſis deponens arma quietus
Victor, victoris præmia digna capit.
Dulcis Amice, diu ſub Apolline belligerâſti,
Atque Machaoniâ tinctus es arte benè.
Pellere ſcis morbos, humani corporis hoſtes,
Languida quæ fuerant corpora reſtituis.
Hinc meritò cathedram ſcandis poſt prœlia tandem
Ultima, quo redeas victor ab hoſte domum.
Propterea Muſæ vos, vos decet eſſe paratas,
Ut donis veſtris excipiatis eum.
Spargite nunc flores, circumdate tempora lauro
Victoris; plauſus edite mille manu!

Gratulabundus Amico ſuo ex paucis dilectiſſ. appo[...]
M. Joh. Caſparus Bodemer, Arg. SS.Th. S[...]

F I N I S.